

cuncta, numen esse credi par est, aeternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam. Hujus extera indagare, nec interest hominum, nec capit humanae conjectura mentis. Sacer est, aeternus, immensus, totus in toto, immo verò ipse totum; finitus, et infinito similis, omnium rerum certus, et similis incerto; extra, intra cuncta complexus in se: idemque rerum naturae opus, et rerum ipsa natura. Furor est, mensuram ejus animo quosdam agitasse, atque prodere ausos: alios rursus occasione hinc sumta, aut his data, innumirabiles tradidisse mundos, ut totidem rerum naturas credi oporteret: aut, si una, omnes incubaret, totidem tamen Soles, totidem Lunas, et cetera, ut jam in uno et immensa et innumerabilia sidera: quasi non eadem quaestione semper in termino cogitationis occursura, desiderio finis alicujus: aut, si haec infinitas naturae omnium artifici possit assignari, non illud idem in uno facilius sit intelligi, tanto praesertim opere. Furor est, profecto furor, egredi ex eo, et tamquam interna ejus cuncta plane jam sint nota, ita scrutari extera: *quasi vero mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat*: aut mens hominis videre, quae mundus ipse non capiat.

Formam ejus in speciem orbis absoluti globatam esse, nomen in primis, et consensus in eo mortalium, orbem appellantium, sed et argumenta rerum, docent: non solum, quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese, ac sibi ipsa toleranda est, seque includit, et continet, nullarum egens compaginum, nec finem, aut initium ullis sui partibus sentiens: nec quia ad motum, quo subinde verti debeat, ut mox apparebit, talis aptissima est, sed oculorum quoque probatione, quod convexus, mediusque quacunq̄ue cernatur: cum id accidere in alia non possit figura.

Hanc ergo formam ejus aeterno et irrequieto ambitu, inenarrabili celeritate, viginti quatuor horarum spatio circumagi, solis exortus et occasus haud dubium reliquere.